



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Acta Pacis Westphalicæ Publica**

Oder Westphälische Friedens-Handlungen und Geschichte

Worinnen enthalten, was vom Anfang des Jahrs 1647. biß gegen Ende desselben zwischen Jhro Römisch-Kayserlichen Majestät, dann den Beyden Cronen Franckreich und Schweden, ingleichen des Heiligen Römischen Reichs Chur-Fürsten, Fürsten und Ständen, zu Oßnabrück und Münster gehandelt worden

**Meiern, Johann Gottfried von**

**Hannover, 1735**

**VD18 90566467**

N.II. Der Kayserlichen Resolution in puncto Assecurationis & Executionis Pacis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52129](http://urn.nbn.de/hbz:466:1-52129)

1647. Causam Marpurgensem quod attinet, notum est, illam præter ius fas-  
Dec. que fuscitaram esse, ac quo minus haec tenus componi potuerit, à parte Do-  
minæ Landgravie Hasso-Cassellane stetisse. Hinc et si nihil magis æquum  
Imperiique Constitutionibus congruum esset, quam ut Dominio Georgio  
Hassia Landgravio ejusque terris illata à prædictis Domina Vidua, & Domi-  
nis Landgravis Hasso-Cassellani damna immensa, atque excidia resarciren-  
tur & restituerentur, quietis tamen publicæ amore & ubi hæc secuta fuerit,  
prænominatus Dominus Landgravius Georgius promittit, se Juribus istis  
ad repetendas damnifications atque injurias sibi competentibus renuncia-  
turum esse, ut tamen vicissim Transactio Anno 1637. inter utramque Li-  
neam amicabiliter juratoque inita, atque à Cæfarea Majestate suffragante  
Collegio Eleætorali, nec non Rege, Præcipibus Ecclesiasticis & Secularibus  
ad utriusque partis instantiam intercedentibus, confirmata, in omnibus Arti-  
culis & Clauses rata firmaque permaneat. Quod si vero Cassellani se  
hoc gravari putent, consentit prædictus Dominus Landgravius Georgius,  
ut salvis supra memoratis cæterisque Juribus, actionibus, exceptionibus &  
beneficiis, quæcunque tandem ipsi competunt, atque competere possunt, re-  
stitutisque sibi prius omnibus à Cassellani in terris ipsius occupatis locis,  
causa ipsa, ut quæ sua natura huc non pertinet, vel coram Judicibus libera  
utriusque partis voluntate ad id in hoc loco denominandis, intra certum  
definitumque tempus, & modo, qui utrique maximè videbitur esse expe-  
diens, legitimè secundum jura ventileetur atque decidatur, vel ut juxta Pa-  
cta Gentilitia amicabilis Transactio instituatur & negotium hoc compo-  
natur &c.

## N. II.

*Diæct. Osnabr. d. 17. Dec. 1647. sub  
Dir. Altenburg.*

Der Kaiserlichen Gesandten Resolution, in puncto Assecurationis & Exe-  
cutionis Pacis, exhibita d. 16. Dec. 1647.

Quod ad Assecurationem Executionemque Pacis attinet, cum omnium inter-  
fit, Articulum hunc clare & dilucide exprimi, ne ex dubio verborum con-  
ceptu ulla retardatio aut turbatio Pacificationis enasci possit: omni-  
bus consideratis totam hanc materiam sequenti forma expo-  
nendum & definiendum esse, censem Cæfareani.

Pacem hoc modo conclusam promittunt Cæfarei & Regii, Ordinumque Ple-  
nipotentiarii, respectiue ab Imperatore & Regina Sueciæ, Sacrique Imperii Ro-  
mani Electoribus, Præcipibus, & Statibus ad formam hic mutuo placitam rati-  
habitum iri, seque infallibiliter præstituros, ut solemnia ratihabitionum In-  
strumenta intra spaciunm trium mensium præsententur & reciproce riteque  
commutentur. Statim vero à die subscripti & signati hujus Instrumenti,  
cesset omnis hostilitas, & quæ supra conventa sunt, executioni utrinque  
mandentur.

Deinde etiam omnes & singuli utriusque partis captivi, citra discrimen  
sagi vel togæ, eo modo, quo inter Exercituum Duces cum Cæfarea Majes-  
tatis approbatione conventum est, aut etiamnum convenietur, liberidimit-  
tantur.

Bierdter Theil.

Nnnnn

Omnia

1647.  
Dec.

1647.  
Dec.

Omnia utriusque partis militaria præsidia, sive Imperatoris & Imperii ejusque Sociorum & federatorum, sive Regiae Regnique Suecæ & Landgravia Hassiæ, eorumque federatorum & adhaerentium aliove quocunque nomine imposita fuerint, è locis restituendis sine damno & noxa Civium, incolarum & Provinciarum pari passu deducantur.

Loca ipsa, Civitates, Urbes, Oppida, Arces, Castella, fortalitia, tam quæ per terras Imperatoris Domusque Austriacæ Hæreditarias, quam per Imperium ab utraque parte occupata & detenta, vel per modum Armistitii unius vel alterius partis concessa sunt, pristinis & legitimis suis possestibus, & Dominis, sive Mediatis sive Immediatis Imperii Status sint, aut Immediatae Imperii gaudent, per totum Imperium, tam Ecclesiasticis quam Secularibus, tum etiam Nobilibus Mediatis, absque mora restituantur, liberæque eorum dispositioni de Jure & Consuetudine, vigoreque præsentis Transactionis ipsis competenti permittrantur, non obstantibus ullis donationibus, infeudationibus, concessionibus aut aliis quibuscumque Titulis in priorum legitimorum Dominorum possestorum ve præjudicium acquisitis, cessantibus etiam Pactis & Federibus huic restitutioni adversantibus: Salvis tamen iis, quæ in præcedentibus Articulis sive Reginae Regnoque Suecia in Satisfactionem concessa, sive aliter speciatim excepta & disposita sunt, atque locorum occupatorum restitutio dicto modo, tam à Cæsarea Majestate quam à Regia Majestate Suecia & utriusque federatis & adhaerentibus, fiat reciproce bona fide.

Restituantur etiam Archiva aliqua mobilia, quæ in dictis locis adhuc salva reperiuntur, sed tormenta bellica cum suis annexis reliquoque apparatus bellico ibidem reperta, ibidem quoque relinquuntur. Quæ vera aliunde eo inventa sive in præliis capta, sive ad usum & custodiam eo per occupantes illata fuerunt, iisdem quoque secum exportare & avehere liceat.

Teneantur subditi cujusque loci decedentibus necessarios currus, equos & naues, pro omnibus necessariis avehendis ad loca destinata, absque pretio subministrare, quos & restituere debent præfecti præsidiorum hoc modo discedentium, sine dolo & fraude.

Reddita vera, sive maritima & limitanea sive mediterranea fuerint, dicta loca ab ulterioribus omnibus occasione horum bellorum introductis prædiis perpetuo posthac libera sunt.

Denique belligerantium in Imperio partium Copiæ & Exercitus, prævia conventa Satisfactione, dimittantur & exauctorentur, eo tantum numero in suos cujusque proprios Status traducto, quem quæque pars pro sua securitate judicaverit necessarium.

Pro majori horum omnium & singulorum Pactorum firmitudine & securitate, sit hæc Transactione perpetua Lex & Pragmatica Imperii Sanctio, proximo Imperii Recessui inferenda & imposterum æque ac aliaæ Leges & Constitutiones Fundamentales Imperii, nominatim per ipsammet Capitulacionem Cæsaream corroboranda, obligans non minus absentes quam præsentes, Ecclesiasticos atque Politicos Imperii Status, & alios, eaque tam Cæsaris Procerumque Consiliariis, quam Tribunalium omnium Judicibus & Assessoriis tanquam regula, quam perpetuo sequantur, præscripta.

Contra hanc Transactionem ullumve ejus Articulum, & clausulam nulla jura Canonica vel Civilia, communia vel specialia Privilegia, Indulta, Edicta,

1647.  
Dec.

**1647.** Edicta, Commissiones, Inhibitiones, Mandata, Decreta, Rescripta, Litispendentiae &c. quocunque tempore latre Sententiae, Res Judicatae, Religiosorum Ordinum Regula aut Exemtiones, Protestationes, Contradictiones, Investiturae, Transactiones, prateriti aut futuri temporis, seu dedititia seu alia Pacta, multominus Edictum Anno 1629, vel Transaction Pragensis aut Concordata cum Pontificibus, aut Interimistica Anno 1548, nec etiam ulla Statuta, sive Politica sive Ecclesiastica, Decreta, Dispensationes, Absolutiones, vel ullæ aliae quocunque nomine & praetextu excogitari poterint exceptiones unquam allegentur, audiantur aut admittantur, nec uspiam contra eam in Peritorio aut Possessorio seu Inhibitorii aut alii Processus decernantur. Qui vero huic Transactioni consilio vel ope contravenerit, vel executioni & restitutioni repugnaverit, sive Clericus sive Laicus fuerit, pœnam Fraðæ Pacis incurrat.

Pax vero conclusa nihilominus in suo robore maneat, teneanturque omnes hujus Transactionis consortes, Imperator & Rex Catholicus non minus quam Sueciæ Galliæque Reges & Imperii Status, universas & singulas hujus Pacis leges contra quemcunque tueri & protegere, & siquid eorum à quocunque violari contigerit, laesus lalentem in primis quidem à via facti, ut convenit, dehortetur, causa ipsa vel amicibili compositioni vel juris difceptioni submissa; Veruntamen si neutro horum modorum intra spatum trium Annorum terminetur Controversia, teneantur omnes & singuli dicti comprotectores, junctis cum parte laesa consiliis viribusque arma sumere, ad repellendam injuriam à paſto moniti, quod nec amicitiae nec juris via locum invenerit, salva tamen de cætero non minus Cæfareæ quam Regiæ Majestati Catholica per Imperium & sua Regna terrasque hereditarias, quam Regiæ Majestati Sueciæ Galliæque respetive per earum Regna & Provincias, Jurisdictione Justitiæque juxta cujusque Status Leges & Constitutiones competenti administratione.

Hac Pacificatione comprehendantur ex parte Serenissimi Imperatoris omnes Suæ Majestatis foederati & adhærentes, in primis Rex Catholicus, Domus Austriaca, Rex Angliæ, Rex Poloniae, Dux Lotharingiæ & ceteri Sacri Romani Imperii Electores, Principes, Status, Libera Imperii Nobilitas & Civitates. Item Rex Daniae, omnes Principes & Republicæ Italie, Ordines Foederati Belgii & Helvetiæ Rhetiæque, Princeps etiam Transylvaniæ,

Cum ita de Pace hac inter Partes tandem per Dei gratiam conventum sit, ut nihil restet, nisi ut de distributione stativorum, donec militi fatisfiat, conveniretur, a scopo vero Pacis in toto hoc Traëstatu utrobique habito plane alienum sit, eam ob causam armis decertare, proinde placuit, ut quamprimum post conclusam & subscriptam hanc Pacem de distributione & solutione Exercituum, tam Imperialium quam Suecicorum, amicabiliter transfigatur: salva semper & irrevocabili manente Pace, cuius nec stabilitatem nec executionem haec de distributione stativorum & solutione militis incunda conventione ullen tenus irritare vel differre possit vel debeat.

In quorum omnium & singulorum fidem majusque robur tam Cæsarei quam Regi, ut & Electorum, Principum ac Statuum Imperii Plenipotentiarii, præsens Pacis Instrumentum manibus sigillisque propriis muniverunt & firmarunt. Osnabrugis in Westphalia die - - Mens. - - Ao. Domini 1647.